cos Civitatis Toletanæ, ac prædicti de Alcalà, necnon quoruncumque aliorum Locorum, Oppidorum, Terrarum, et Castrorum eidem Archiepiscopo ratione Ecclesiæ Toletanæ prædictæ, illiusque iurisdictionis in spiritualibus, et temporalibus subditos tantùm, etiam si Scholares, verique Collegiales, et matriculati dictæ Universitatis forent, ac etiam eos, etiam si forenses, qui præsentia gaudentes privilegiorum dictæ Universitatis, et exemptionis, ac iurisdictione ordinaria prædicta se in fraudem in matricula dictæ Universitatis inscribi, et annotari fecerunt, dummodò per eiusdem Universitatis Visitatores, eorum super hoc conscientia onerata, quòd tales viri Collegiales non fuissent, neque vt Scholares vixissent, iudicatum, et declaratum fuissent, citra tamen ea, quæ actum Universitatis concernerent: Rector vero, et Regentes, ac alii Collegiales prædicti, eorumque Visitatores, Iudices, ac Conservatores, contra quosvis alios dictæ Universitatis Collegiales, et Scholares matriculatos, et Presbyteros, vel Clericos, ac alias personas, etiam in dignitate Ecclesiastica constitutos, necnon Laicos de eisdem Civitate, et Diœcesi, aut sub iurisdictione eiusdem Archiepiscopi in eisdem spiritualibus, et temporalibus non existentes cuiuscumque qualitatis, gradus, et præeminentiæ forent, inquibusvis litibus, instantiis, et actionibus, ac causis tàm civilibus, quàm criminalibus, ac mixtis provideri, inquiri, iudicari, et diffiniri, iurisdictionemque civilem, ac criminalem, et mixtam exercere deberent, nec vna partium in alterius iurisdictione et è conuerso vllo vnquam tempore quavis occasione, seu pretextu se immiscere, nec intromi tere, sed quælibet ipsarum sua ipsius iurisdictione circa præmissa contenta essent, et illa absque alterius impedimento, vel molestia liberè exercere posset, et deberet, non obstante quoque eiusdem Palatii stilo, et sublata penitùs, et omnino omni, et quacumque reclamatione, appellatione, ac supplicatione, etiam ex quantuncumque gravi causa interposita, ac interponenda: easdemque causam, et causas, necnon litem, et lites, ac controversias cum omnibus earum incidentiis, dependentiis, emergentiis annexis, et connexis pœnitùs extinguendo, et annullando, ac in totum viribus vacuando: necnon, partibus ipsis perpetuum silentium imponendo iudicaret, sententiaret, et diffiniret, ac terminaret. Ac postquam sic per eum, vt præmittitur-sententiatum, iudicatum, diffinitum, et terminatum fuisset, easdem par tes ad præmissorum observationem, etiam sub sententiis, censuris, et pœnis Ecclesiasticis cogeret, et compelleret: dictus enim Paulus Prædecessor, eidem Ioanni Paulo Auditori dictas partes, omnesque alios, et singulos sua in præmissis interesse, putantes de super nominandos, quatenus opus esset, monendi, citandi, eisque inhibendi, ac aggravandi,

et reagravandi, iteratis vicibus, interdicendique, et auxilium brachii secularis invocandi, et alia tunc expressa faciendi licentiam concessit. Decernens nihilominus huiusmodi suum motum proprium, ac sententiam desuper ferendam ex tunc, prout postquan lata foret, ac alia inde secuta de nullitatis, invaliditatis, iniquitatis, et iniustitiæ, vel aliàs notari, aut impugnari nullatenus posse; sed valida existere, suosque plenarios effectus sortiri debere, nec sub quibusvis derogationibus, alterationibus, et aliis contrariis dispositionibus per eum, et Sedem Apostolicam, etiam ad alterius partium earundem instantiam, aut motu, et scientia similibus, aut aliàs pro tempore factis nullatenus comprehendi; sed semper ab illis excepta, et quoties illæ emanarent, toties in pristinum statum restituta, et plenariè redintegrata esse, et censeri: Sicque per quoscumque Iudices, et personas quavis auctoritate fungentes vbique iudicari, et diffiniri deberi. Sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi, sententiandi, et interpretandi facultate, et authoritate: necnon irritum, et inane, si quid secùs super his à quoquan quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contingerit attentari, decrevit. Non obstantibus de non tollendo iure quæsito, et aliis Apostolicis constitutionibus, et ordinationibus, ac omnibus aliis, quæ in eodem motu proprio voluit non obstare: et quorum omnium tenores pro sufficienter expressis habens ad effectum præmissorum latissimè derogavit, illàque, necnon eorum omnium vim, et effectum revocavit, et annullavit, volens eiusdem motus proprii solam ad id signaturam sufficere, et vbique tàm in iudicio, quám extra illud, regula contraria non obstante, fidem facere, prout in eodem motu proprio pleniùs contineri dicitur. Et sicut eadem expositio subiungebat, licèt olim Iulius Prædecessor præfatus, bonæ memoriæ Francisci, titulo Sanctæ Balbinæ Presbyteri Cardinalis, qui tunc in humanis agens eidem Ecclesiæ Toletanæ ex dispensatione Apostolica præerat, supplicationibus inclinatus, tunc, et pro tempore existentes Rectorem, ex Collegiales, Regentes, Doctores, Magistros, Licentiatos, Bacchalarios, Scholares, Capellanos, Servitores, et Officiales Collegii, et Universitatis Scholarium dicti Oppidi de Alcalá de Henares, ac Executores, et Conservatores eis quomodolibèt, pro tempore deputatos, eorumque bona quæcunque ab omni iurisdictione, superioritate, dominio, potestate, visitatione, et correctione Archiepiscopi Toletani, et quoruncumque aliorum Ordinariorum, eorumque Vicariorum, Officialiun, et ceterorum Iudicum quoruncumque tunc, et pro tempore existentium per suas litteras penitus, et omnino exemerit, et totaliter liberaverit, ac sub beati Petri, ac Sedis Apostolicæ protectione susceperit, illosque, et illa sibi, et successoribus

suis Romanis Pontificibus canonice intrantibus, necnon dictæ Sedi dumtaxàt immediatè subjecerit, ac exemptos, liberos, et subjectos fore decreverit. Ita quod Archiepiscopus, Vicarii, Officiales, et Iudices præfati per se, vel alium, seu alios in Rectorem, Collegiales, Regentes, Lectores, Doctores, Magistros, Licentiatos, Bacchalarios, Scholares, Capellanos, Servitores, et Officiales Collegii, et Universitatis huiusmodi, ac Excecutores, et Conservatores prædictos, eorumque bona tanquam prorsùs exemptos, et exempta etiam ratione debiri, contractus, dominii, seu rei, de qua ageretur, vbicumque committeretur delictum, iniretur contractus, aut res ipsa consisteret, aliquam iurisdictionem, dominium, vel potestatem quommodolibèt exercere, seu corrigere, aut eos, vel ea apprehendere non possit; sed Rector pro tempore existens, ac Executores, ac Conservatores pro tempore deputati coràm Sede prædicta, aut legatis, vel delegatis eius; Collegiales verò, Regentes, Doctores, Magistri, Licentiati, Bacchalarii, Scholares, Capellani, Servitores, et Officiales prædicti coràm eodem Rectore pro tempore existente dumtaxàt tenerentur de iustitia respondere tàm incivilibus, quàm criminalibus, sivè ageretur de crimine ex officio, vel Inquisitione, aut pactis, accusatione, vel aliàs quomodolibèt civiliter, vel criminaliter respondere, nec ratione delicti, vel ex alia causa in alio, quàm Collegii, et Universitatis huiusmodi carcere mancipari possent. Decernens ex tunc omnes, et singulos excomunicationis, suspensionis, et interdicti, aliasque sententias, censuras, et pœnas, ac processus, quos, et quas contra Rectorem, et Collegiales, Regentes, Lectores, Magistros, Licentiatos, Bacchalarios, Scholares, Capellanos, Servitores, Officiales, Executores, et Conservatores prædictos, ac bona eorum haberi, et promulgari ac incarcerationes, quas de eis fieri, necnon totum id, et quidquid super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter attentari contingeret, irrita, et inania, nulliusque roboris, vel momenti existere ac præmissis contravenientes excomunicationis latæ sententiæ, à qua non nisi per Sedem, aut Rectorem prædictos, mortis articulo excepto, absolvi non possent, ac viginti ducatorum capellæ Collegii huiusmodi applicandorum pœnam eoipsò incurrere: ac Scholares Collegii, et Vniversitatis huiusmodi exemptione prædicta eoipso quòd matriculati forent, et litterarum studio operam darent, gaudere debere. Ac in super statuerit, et ordinaverit, quòd Collegium, et Vniversitas, ac Rector, Collegiales, Regentes, Lectores, Doctores, Magistri, Licentiati, Bacchalarii, Scholares, Capellani, Servitores, et Officiales tunc, et pro tempore existentes omnibus, et singulis privilegiis, immunitatibus exemptionibus, et aliis gratiis, et indultis Vniversitatibus studiorum

generalium Parisiensium, et Salmantinorum, quomodolibet concessis, et ex tunc in posterùm concedendis, ac quibus illæ, et earundem Universitatum Rectores, Collegiales, Regentes, Lectores, Doctores, Magistri, Licentiati, Bacchalarii, Scholares, Capellani, Servitores, et Officiales de iure, vel consuetudine vtebantur, potiebantur, et gaudebant, ac vti, pociri, et gaudere poterant, quomodolibét in futurum vti, potiri possent, ac deberent: necnon in Universitate huiusmodi residendo, omnes, et singulos, fructus quoruncumque bonorum Ecclesiasticorum cum cura, et sine cura, etiam ex statuto, vel fundatione, aut aliàs personalem residentiam requirentium, quæ etiam in quibusvis Ecclesiis, sive locis pro tempore obtinere contingeret, cum ea integritate, quotidianis distributionibus duntaxàt exceptis, cum qua illos perciperent, si in eisdem Ecclesiis, sive Locis personaliter residerent, percipere valerent, prout in eisdem litteris similitèr pleniùs dicitur contineri. Nihilo minus occasione litis, et causæ in dicta Curia inter præfatum Ioannem Cardinalem tunc in humanis agentem, sivè eius in spiritualibus Vicarios, vel Officiales generales ex vna, et Rectorem, Regentes, Doctores, Collegiales, et alias personas Universitatis huiusmodi ex altera partibus, super molestationibus exemptionum à iurisdictione ordinaria, et aliis præmissis introductis, ac etiam occasione motus proprii à Paulo Prædecessore huiusmodi, vt præfertur, emanatis, et sententiæ superendi latæ plurima damna, et inconvenientia Rectori, Collegialibus, et aliis supra nominatis personis Universitatis huiusmodi proveniant, et maiora provenire, ac inter eos confussionem, et scandala in dies exoriri posse formidentur in maximum Universitatis huiusmodi, et pauperum inibi studentium detrimentum: Quare pro parte predictorum exponentium Nobis fuit humiliter supplicatum, vt eis in premissis opportunè providere de benignitate Apostolica dignaremur.

NOS igitur atendentes Collegium huiusmodi ex institutione ipsius Francisci Cardinalis bis in anno per Visitatorem ad id per dilectos Filios Capitulum dictæ Ecclesiæ Sanctorum Iusti, et Pastoris, in die Sancti Andreæ cuiuslibet anni eligi solitum, visitari, et Collegiales, ac alias personas Universitatis hnius modi per Rectorem pro tempore existentem, et eius Consiliarios, et in eorum defectum per Visitatorem puniri, et corrigi consuevisse; ac volentes damnis, et inconvenientibus huiusmodi occurrere, et ne delicta per Collegiales, et personas huiusmodi pro tempore commissa impunita remaneant, opportunè providere, causam huiusmodi ac alias quascumque inter Rectorem, et Collegiales, ac Universitatem prædictos, et venerabilem Fratrem Ioannem, modernum Archiepiscopum Toletanum nu-

per desuper motas ad Nos advocantes, et lites huiusmodi penitùs extinguentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, Rectorem, Collegiales, Regentes, Doctores, Lectores, Magistros, Licentiatos, Bacchalarios, Scholares, Capellanos, Servitores, et Officiales Collegii, Universitatis huiusmodi adversus præmissum Pauli Prædecessoris huiusmodi concessum motum proprium, ac in eius executionem latam sententiam, ac omnia, et singula alia inde secuta, necnon in pristinum, et eum, in quo Rector, et alii prædicti, antequàm motus proprius, et illius prætextu lata sententia, et alia prædicta, vt præfertur, emanarent, erant, statum, etiam quoad prosecutionem, seu quasi exemptionis, et libertatis prædictarum auctoritate Apostolica tenore præsentium restituimus, reponimus, et plenariè redintegramus: ac restitutos, repositos, et plenariè redintegratos, necnon iuxta Iulii Prædecessoris huiusmodi exemptos, liberos, susceptos, et dictæ Sedi dumtaxàt subiectos esse: ac venerabiles fratres modernos pro tempore existentes Archiepiscopum Toletanum, et Episcopum Salmantinum, ac Maiorem nuncupatum, qui in dignitate, seu personatu constitutus, seu Canonicus alicuius Cathedralis Ecclesie existeret, Regis Castellæ pro tempore Capellanum, necnon Abbatem secularis, et Collegiatæ Ecclesiæ Beatæ Mariæ Vallisoleti Palentinæ Diœcesis, ipsorumque Archiepiscopi, Episcopi, et Abbatis Vicarios, Officiales, et Iudices etiam super cognitione causarum appellationum per sanctæ memoriæ Eugenium IV Nicolaum V et forsàn alios Romanos Pontifices Prædecessores nostros in dicta Diœcesi Toletana, vel aliàs pro tempore deputatos per se, vel alium, seu alios in Rectorem, et Collegiales, ac alias superiùs expressas personas Universitatis huiusmodi eorumque bona tanquàm iuxta litterarum Iulii Prædecessoris huiusmodi exemptos, et exempta etiam prætextu motus proprii, et sententiæ illius vigore late, et inde secutorum, et dictarum Eugenii, et Nicolai Prædecessorum prædictorum Iudicibus causarum appellationum in favorem ipsius Archiepiscopi Toletani, pro tempore existentis, et illius vassallorum, et subditorum super causis appellationum eorundem vassallorum concessarum, ac aliarum quaruncumque litterarum Apostolicarum aliquam iurisdictionem, dominium, et potestatem quomodolibèt exercere, aut eos corrigere, aut apprehendere, aut in sua iurisdictione, exemptione, et libertate huiusmodi modo aliquo præiudicare molestari, aut perturbari non posse decernimus, et declaramus: ac potiori pro cautela eundem motum proprium, et eius pretextu latam sententiam, ac omnia, et singula in eis contenta exemptionem, et liberationem prædictas quomodolibèt lædentia, et inde secuta quæcumque revocamus, cassamus, et anullamus: Necnon Iulii prædicti,

ac quoruncumque aliorum Romanorum Pontificum Prædecessorum nostrorum litteras, indulta, et privilegia quæcumque Universitate, et Collegio prædictis quomodolibèt concessa, quorum omnium tenores pro sufficienter expressis, et insertis habentes, innovamus, ac confirmamus, et approbamus. ET nè delicta Rectoris, et Collegialium, ac aliarum superiùs expressarum personarum Universitatis huiusmodi impunita remaneant; aut pro defectu iustitiæ alicui de eis querelandi relinquatur occasio, dilecto filio moderno, et pro tempore existenti nostro, et sedis Apostolicæ in Regnis Hispaniarum Nuntio committimus et mandamus, quatenus ipse vnà cum pro tempore electo Visitatore Collegii huiusmodi; vel sine illo de per se ipsum personaliter, quoties sibi videbitur, Collegium, et Universitatem huiusmodi auctoritate nostra, iuxta tamen constitutiones, et ordinationes dicti Collegii visitet, et contra illos etiam per viam inquisitionis, vel investigationis, aut denuntiationis, seu ex officio, aut per viam appellationis, seu requisitionis procedat: ac delinquentes, seu aliàs quomodolibèt culpabiles repertos corrigat, et debita animadversione puniat: necnon in eos, et contra eos, ac inter eos omnia, et singula, quæ ordinarii locorum in subditos suos exercere possint, quoad iurisdictionalia tantùm exerceat, et exequatur. Et nihilominus Archidiacono de Guadalaxara, in Ecclesia Toletana, et Præceptoribus Dominæ nostræ de Mercede de Guadalaxara, et de Alcalà Oppidorum mandamus, quatenus ipsi, vel duo, aut vnus eorum per se, vel alium, seu alios, auctoritate nostra faciant præsentes litteras, et in eis contenta quæcumque plenum effectum sortiri, illisque Rectorem, Regentes, Collegiales, et alios supradictos Collegii, ac Universitatis huiusmodi, omnesque, et singulos alios, quos quomodolibèt concernunt, pacificè frui, et gaudere: nec permittant, eos per Archiepiscopum, Episcopum, Capellanum, et Abbatem, ac alios nominatos, seu quoscumque alios contra illarum tenorem modo aliquo molestari, impediri, aut inquietari, contradictores quoslibet, et rebelles per interdicti ab ingressu Ecclesiæ, et deinde suspensionis à divinis, necnon alias censuras, et pœnas Ecclesiasticas, et pecuniarias arbitrio suo ponendas, et moderandas, ac alia opportuna iuris remedia, appellatione postposita, compescendo: ipsasque censuras, et pœnas, quoties eis videvitur, etiam iteratis vicibus, aggravando: et constito eis summariè de non tuto accessu, citationes quaslibet, etiam per edictum publicum, decernendo et quibus, ac quoties inhibendum fuerit, etiam sub eisdem censuris, et pœnis inhibendo, et auxilium brachii sæcularis ad hoc, si opus fuerit, invocando. Non obstantibus præmissis, ac felicis recordationis Bonifacii Papæ VIII similiter Prædecessoris nostri, etiam

de vna, et Concilii Generalis de duabus diætis, dummodò vltrà tres diætas aliquis auctoritate præsentium non trahatur, et aliis constitutionibus, et ordinationibus Apostolicis, et quivusbis statutis, et consuetudinibus, etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis: necnon omnibus illis, quæ dictus Iulius Prædecessor in dictis suis litteris voluit non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque: Aut si aliquibus communiter, vel divisim ab Apostolica sit Sede indultum, quòd interdici, suspendi, vel excomunicari non possint, per litteras Apostolicas non facientes plenam, et expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem. Datis Romæ, apud Sanctum Petrum, sub Annulo Piscatoris, die 2 Iunii, 1550. Pontificatus nostri Anno Primo: *A. Bellhomo.*

NÚMERO 27.

Bula de Julio III acerca de la erección de la Universidad de Osma, año de 1555 (1).

Julius etc.

Ad instar Collegii Salmantini, juxta formam et ordinationem ejusdem Petri, desuper faciendam, authoritate Apostolica, tenore præsentium erigimus et instituimus, ipsique Collegio ex nunc prout extunc, et e contra, postquam constructum fuerit, ut prefertur, prodote ac Doctorum et Scholarum eorumdem sustentatione bona et redditus per ipsum Petrum Episcopum authoritate et tenore prædictis, perpetuo applicamus et apropiamus, necnon Collegio et studio hujusmodi ac omnibus et singulis illius Rectori, Lectoribus, scholaribus Capellanis, Servitoribus et Familiaribus pro tempore existentibus quod omnibus et singulis privilegiis, libertatibus, inmunitatibus, exemtionibus favoribus, gratiis prærrogativis concessionibus, et indultis in genere tantum, quibus per bonæ memoriæ Didacum Episcopum Sabinensem, tunc in humanis agentem fundatum, et quævis alia studiorum generalium Collegio eorumque ac Salmantini, de Alcala et Vallisoleti Studio, Lectores, Doctores, Scholares, Capellanos, Servitores et Familiares de jure, consuetudine, statuto, vel alias quomodolibet utuntur et gaudent, ac uti, potiri et gaudere poterunt in futurum Collegium et Studium erectum,

(1) Copiada del tomo III de la obra de Loperaez, acerca del Obispado de Osma, página 355, donde sólo pone este fragmento.

ac illius Rectores, Doctores, Scholares Capellani et personæ hujusmodi ac res et bona quæcumque æque et principaliter et absque ulla penitus differentia in omnibus et per omnia perinde ac si illis specialiter, et exprese concessa fuisset, uti potiri et gaudere, libere et licite valeant.....

NÚMERO 28.

Certificación á favor de la iglesia de San Justo y Universidad de Alcalá, dada en el Concilio de Trento: 1563.

Ego Marchus Laurus, Tropiensis, Ordinis Predicatorum, Episcopus Campanensis, Secretarius Sacri Concilii Tridentini pro Reverendisimo Angelo Massarello Episcopo Thelesino; omnibus fidem fácio, quod cum in Generali Patrum congregatione de abrogandis Capitulorum exemptionibus ageretur, petitum est á Reverendisimo Episcopo Legionensi, ut Colegiatæ Ecclesiæ Sanctorum Iusti et Pastoris in óppido Complutensi ratio haberetur; quo tempore, cum omnes fere Patres (paucissimi etenim excepti sunt), honestam et justam nimis petitionem putarent, et commendarent magnis preconiis laudum, tum propter Ecclesiæ dignitatem atque prestantiam, tum etiam propter insigne Collegium et Universitatem Complutensem, ex qua non solum ad Canonicatus et portiones ejus Ecclesiæ artium liberalium Magistri et Doctores theólogi assumuntur ex lege, sed prodeunt etiam quotidie plurimi viri doctissimi optimique, qui rem christianam pro viribus, quam longisime possunt, promovent, quemádmodum nos accépimus atque cognovimus experimento, ex multis ejus Scholæ viris doctissimis, qui in hoc Sacro Concilio Tridentino adfuerunt, communi consensu decreverunt, ut ejus maxima ratio haberetur, atque ideo ea verba decreto addiderunt (1); *Salvis privilegiis Universitatibus, atque illarum personis concessis* ejus Eclesiæ eximendæ potissimum causa. Quæ sane verba, Patres omnes, cum tandem sessio celebraretur, libentissime sunt amplexi.

In omnium horum fidem, et robur atque testimónium, præsentes manu propia subscripsi, atque sigillo proprio signavi: Tridenti die 6 Decembris 1563.

Idem Marcus Laurus Episcopus Campanensis, qui scripsi manu propria.

---

(1) *Ex Concil. Trid. sess.* 25, *cap.* 6, *de refor. circo finem.*

NÚMERO 29.

Pretendida Bula de Gregorio XIII, sobre conocimiento del Maestrescuelas de Salamanca: año 1572 (1).

Seraphinus Olivarius Razzalius, utriusque Iuris Doctor, Ssmi. Dni. nostri Papæ Capellanus, et ipsius scieri Palatii causarum Auditor.....

Noveritis quod nuper Ssmus in Christo Pater et Dominus noster Dnus. Gregorius Div. Prov. Papa XIII, quandam commissionis sive supplicationis, papiri cedulam nobis per quendam suum cursorem præsentari fecit, quam nos cum ea qua decuit reverentia recepimus, hujusmodi sub tenore.

Beatissime Pater: Licet Sanctitatis vestræ orator Petrus de Guevara, modernus scholasticus Ecclesiæ Salmantinæ sit judex ordinarius Universitatis Salmantinæ, ac ab ordinarii jurisdictione ex privilegiis Apostolicis exemptionis, et in quasi possesione exeptionis existat....... a moderno loci ordinario Salmantino molestari et inquietari non nullatenus debuisset, neque deberet.....

(Sigue la narración de la súplica del Maestrescuela, comisión *in causa*, citación, presentación del Procurador del Maestrescuela, no comparecencia del otro, y acusación de rebeldía hasta llegar al fallo.)

Nos tunc Seraphinus Olivarius Razalius, Auditor præfatus, attendens requisitionem hujusmodi fore justam, authoritate Apostolica nobis commissa, et qua fungimur in hac parte, præfatum Dominum Petrum Guevara, modernum scholasticum Ecclesiæ Salmantinæ in sua possessione dictæ exemptionis, jurisdictionis, in qua existit, et in causis, matrimonialibus, beneficialibus et simoniæ, cognoscendi, necnon decernendi et promulgandi litteras declaratorias pro rebus substractis manutenemus, et manuteneri mandamus, has nostras litteras desuper necessarias et opportunas decernentes et concedentes.

Quæ omnia et singula vobis omnibus et singulis supradictis intimamus, insinuamus et notificamus.....

In quorum omnium et singulorum fidem et testimonium præmissorum has præsentes litteras fieri, sigillique nostri jussimus et fecimus appensione communiri, ac per notarium nostrum infrascriptum suscri-

(1) Con perdón de los que la imprimieron, la llamada Bula no es tal *Bula*, sino una mera sentencia Rotal, dada, no por turno, sino por mera comisión, *et Æconomice*.

bi mandavimus. Datum Romæ apud Sanctum Petrum in Palatio causarum Apostolico, nobis inibi pro Tribunali sedendo, sub anno a Nativitate Domini millessimo quingentessimo (1) secundo, indictione decima, die vero Mercurii quarta mensis Julii.

NUMERO 30.

Petición 40 *de las Cortes de* 1576 *acerca de las cualidades de los maestros de primeras letras*.

De enlo de la habilidad y suficiencia, que tan necesaria es en los maestros que enseñan niños en tierna edad, es mucho más importante que sean personas de conocida christiandad y exemplares costumbres, porque tales las aprendan dellos sus discipulos. Desto no hay el cuidado que se requiere, antes los que quieren hacer este oficio por su sola autoridad se introducen en el, de que se han seguido muchos inconvenientes. Suplicamos á vuestra Magestad, que pues en la crianza de los niños en aquella edad va tanto, y las costumbres que entonces aprenden con dificultad las olvidan, mande: que ninguno pueda poner escuela ni estudio para enseñar muchachos, sin tener aprouacion de la justicia y regimiento del lugar do la hubiere de poner, y tenerse del la satisfazion que tanto es necesaria.

(Contestación.) A esto vos respondemos, que sobre lo contenido en este capitulo mandaremos mirar y proveher lo que convenga.

---

(1) Falta en el impreso la palabra *septuagessimo*.

NÚMERO 31.

Catedráticos célebres en varias Universidades por Alfonso Matamoros, Catedrático de Retórica en Alcalá, año de 1553 (1).

§ 1.—Invectiva contra los sofistas antiguos, y la importación del mal gusto en España (2).

Ita serpsit hæc contagio, diffusaque est per totam Hispaniam, ut nulli homines, secundum parisienses, aut planè barbariores, aut in illis suis prodigiosis inventis pertinatiores quam Hispani invenirentur. Ut enim primum intellectum est, quantam vim ostentationis haberet subdola et facta quodammodo disserendi ratio, tum etiam magistri ex nostra Hispania multi illius novæ artis subito extiterunt: quia nusquam fertiliores segeres nasci affirmant nostri coloni, quàm in sterquilinniis. Tum Gaspar Lax, Ferdinandus Enzinas, duo fratres Coroneli, Ioannes Dolzius, Hieronimus Pardus, Coetus, Dulartus, Naverus, aliique quàmplurimi temporibus eisdem, docere se profitebantur, arrogantibus sane verbis, vertere in candida nigrum, et Cœlum numo venales exhibere, et quibus respondere non possent, præstigiis cum Davo iudicari, rem sanè veris disciplinis pernitiosam, quam non aliter inhiberi posse video, (nam regnat adhuc in multis Hispaniæ locis) quam severitate invictissimi Cœsaris, quod Franciscus Galliarum Rex importunissimis barbaris Lutetia pulsis, magna cum laude, et Gallici nominis, et maiori studiorum utilitate nostris temporibus fecit.....

---

(1) Alfonso de Matamoros, natural de Sevilla, fué uno de los mejores y más célebres catedráticos que tuvo la Universidad de Alcalá á mediados del siglo XVI. Entre las varias obras que escribió, fué una intitulada de *Academiis et doctis viris Hispaniæ*, en que habla de los Profesores más célebres de su tiempo y también de los historiadores, poetas, oradores y matemáticos, incluso Cristóbal Colón. Se omite todo lo relativo á éstos y mucho de lo que tiene de mera declamación y ampulosidad, al estilo de los clasicistas de aquel tiempo, en que, hablando de la restauración del *buen gusto*, no siempre escribían con buen gusto.

(2) Se omite todo lo anterior con los elogios relativos á varios profesores antiguos Torquemada, el Tostado, Pedro de Osma y otros.

§ 2.—Elogio de Nebrija, considerado primer impugnador del mal gusto y la barbarie.

Itaque hoc toto tempore, quod longissimum à Boetio fuisse videmus altissimas egerat barbaria radices, et nemo quisquam ex tot hominum millibus fuit, qui immane hoc, et ferale monstrum, aut domi privatis studiis auderet conficere, aut à finibus Hispanæ pellendum tentaret, donec tandem post multa secula natus et fœlicissimis fatis in Bæthica Antonius Nebrisensis, qui litteris, ac disciplinis omnibus, quibus eo tempore florebat Italia, tanquam ex longa siti avidissimè haustis, atrox, quoad vixit, et crudele bellum cum barbaris gesit: quod si propter insitas, inveteratasque mentibus hominum persuasiones conficere omnino non potuit, magna certè ex parte fregit, ac debilitavit.....

§ 3.—Elogio de Luis Vives.

Æqualis Antonii fuit Ludovicus Vives, rarum Valentiæ decus, propterea quod, et declamator egregius, et Philosophus magni nominis, et multis in rebus eminentissimus est habitus, placuissetque multo magis viris eloquentissimis, si ut multa dissertè, doctissimeque conscripsit, ita sermonis innata, insitàque duritia, et vocabulis quibusdam græcolatinis, quæ ad ampliandam linguam latınam excogitavit, orationis gratiam non obscurasset. Mihi autem hac de re una visus est Ludovicus Vives cùm Porcio Latrone contendere voluisse, utrum hunc ille sermone Hispano latino vinceret, an illum hic potius græco-latino superaret.....

§ 4.—Gelinda y Honorato Juan, profesores valencianos.

Ne hoc quidem alumno soluum gloriari Valentia potest, quoniam multorum cùm oratorum, tum philosophorum edito ab hinc annis viginti beatissimo partu, susceptam priscis temporibus barbariæ maculam non delere solum suis viribus, sed aliis quoque Hispaniæ civitatibus eloquentia, et artium omnium, ac disciplinarum lumem inferre valet. Nam, ut Ioannem Gelindam tacitus prætercam, quem magno Ludovici vivis testimonio , alterum nostri temporis Aristotelem sciret apellari, non equidem invitus faciam, ut nobilissimi viri Honorati Ioannis equitis Valentini, illam unam omnium rerum Principem doctrinam, quæ sit claro homine digna, atque eo, qui in Republica vellit ex-

cellere, quantum animo conniti potero, suscipiam, et admiret. Siquidem præter litteras græcas et latinas, et eas artes quibus liberales doctrinæ, atque ingenuæ continentur, civili etiam prudentia usque adeò præditus est, ut controvertas merito, plus ne litteræ in hoc homine, an morum compositio, et recta animi moderatio valeant. Sic verò litterarum studio, et amore artis, ut multos annos pene puer procul à domo peregrinatus sit, varias terras ac regionis adierit, seiunctissimas Provincias peragrarit, multarum gentium ac nationum prelustrarit arcana, quæ quantum bonis artibus, et disciplinæ civili attulerint commoditatis sanè ipse quotidie ostendit in aula Philippi Hispaniarum Principis.....

§ 5.—Elogio de Siliceo.

Itaque Maximilianus Imperator huius nostri felicissimi Principis fortunatissimus proavus, quum præceptorem daturus esset Carolo nepoti, tanti Imperii et Regnorum hæredi, unum Adrianum præcipua quæsitum cura delegit, repudiatis, qui se ambitiose prætulerant, vel amicorum studio producti ingenium variis artibus ostentabant. Hæc vero Maximiliani singularis, et divina prudentia non ita post annos repetita fuit in eodem Carolo Cæsare invictissimo Imperatore, erudiendi Philippi Principis Reverendissimo Ioanni Martino Silicæo præestantissimo eius ætatis Philosopho demandata cura. Neque tam est his temporibus Hispania nostra bonis, et eruditis vacua, et spoliata viris, ut non academia una Complutensis decem possit pro uno Aristotele magnos, et incomparabiles præceptores Carolo puero suppeditare.....

§ 6.—Elogio de San Francisco de Borja, fundador de la Universidad de Gandia.

Sed revertamur rursus ad eruditos Valentinos, siquidem nescio quis me ardore animi, et occulti amoris flamma iamdudum considerantem urunt, quantum scilicet illud decus fuerit, quam rarum, et incredibile, et ante annos multos post unum illum Aragoniæ ex stirpe regia virum, Hispanis nostris inauditum, qui patrio, et avito relicto Regno: inter monachos privatus vitam agere decreverit, quod felicissimis his temporibus illustrissimus vir Franciscus Borgius Dux Gandiensis fecit, qui divinis incensus et inflammatus tedis, repudiato amplissimo patrimonio in Societatem Religiosorum Nominis Iesu, gloriose quidem, ac sapienter illatus est.....

Nam in oppido Gandiensi, quod caput est borgianæ ditionis per celebre Collegium ædificavit, salariaque constituit artium et linguarum professoribus, præter quotidianos illos sumptus, quos alendis Religiosis Nominis Iesu, plenè cumulateque facit.....

§ 7.—Elogio de Don Juan III de Portugal y de la Universidad de Coimbra.

Hoc prudenti, et divino consilio Ioannes Serenissimus Lusitaniæ Rex, qui mihi omnium primus honoris, et maiestatis gratia fuerat nominandus, in decus nobilissimæ gentis, et utilitatem studiorum, inter victrices lauros, quas ex Africa quotidie reportat, his temporibus Conimbricæ fecit. Hic nobili constructa Academia, doctissimos undecumque præceptores amplissimis conditionibus evocandos curavit, quorum illustri, præclaraque nominis fama, non Lusitanos modò intra suum Regnum contineret, sed exteras, seiunctissimasque nationes tamquam in refertissimum rerum omnium mercatum ad suavissimas epulas invitaret. Unum inter plurima, quæ singulari Regis prudentia instituta sunt, quod me sæpè cogitantem plurimum recreat, veteri Scevolæ exemplo fieri audio, neminem ad ius civile audiendum admitti, qui non sit prius in dialectica tempore aliquo versatus. Hic mihi licebat quam plurimos Lusitaniæ viros doctos oratione mea celebrare, qui præter cæteras artes pulcherrimas, quas sunt consecuti, hac etiam dicendi laude delectantur. In his est Hieronimus Osorius, qui de gloria, et de civili et christiana nobilitate nobilissimos libros suavi simul, et artificiosa verborum structura citra versum conscripsit.....

§ 8.—Elogio de la Universidad de Alcalá y algunos de sus catedráticos (1).

Sed numquan hæc religio me ab hoc conatu repellet, quin celebritatem incredibilem, et gloriam Academiæ Complutensis ferè immensam memoriæ posteritatis sempiterno præconis consignem. Mihi igitur Academia Complutensis publicum videtur esse totius Hispanæ oraculum, ubi humanæ vitæ sortes laureati versant Theologi, quos non solum numero, sed divina quoque sapientia cæteris totius Hispanæ doctoribus si non præferre propter invidiam audemus, nec posponendos quidem iudicamus..... (2).

(1) Es algo ampuloso y declamatorio.

(2) Siguen los elogios de cada uno de éstos en particular.

Illud quoque addo Hippocratem, et Galenum medicinam ex nocte densissima, in qua usque ad hæc propè tempora latuerat, in lucem revocasse, partim publicis, et quotidianis, disputationibus Complutensium medicorum, partim editis doctissimis commentariis, qui in Templo Æsculapii (ut quondam fecit Hippocrates) inscribi, et dicari potuissent. Cæterum ut artes omnes, et disciplinas nobiles hæc Academia perbeate coluit, ita unius elocuentiæ studio adeò fuit incensa, ut magnos oratorum partus perbrevi tempore tulerit. Hinc illi, quorum ego memoria vehementer recreari soleo, orti fuerunt, Lupus Herrera, Laurentius Balbus liliensis, Ioannes Ramirus, et Petreius Toletani. Quorum hic postremus immatura morte nobis ereptus, ingenii, et eloquentiæ suæ triste desiderium Academiæ Complutensi reliquit.....

§ 9.—Elogio y crítica de los Jurisconsultos de Salamanca.

Sed nos iam dudum vocat Salmantica antiqua musarum domus quam litterarum facta colentes tacitam præterire non possumus. Hæc Licurgos, et Solones alit, et præter paucos Monachos eximie doctos, quos nuper Cæsar Tridentum ad Concilium vocavit, unum habet Fredenandum Pintianum multæ, et variæ lectionis virum: quo nemo vivit hodie, aut veterum autorum litterate peritior, aut utriusque linguæ callentior. Hic post edita quamplurima optimi, acerrimique iudicii, et abstrusioris doctrinæ monumenta, doctissimas item in Caium Plinium observationes, opus, ut infiniti laboris, ita quidem utilitatis ingentis proxime in lucem emissit. Verùm nescio quo malo fato adhuc fit, ut Salmanticenses viri graves, et qui primum scholas ingressi, ad honores statim et Reipublicæ administrationem, cuncta suo nutu gubernaturi, spirant, tanta eloquentiæ neglectione laborent, quantam nec legum, quas profitentur, maiestas, nec studium boni patroni, nec illa ipsa consilia Regia, quibus ceu Minoes et Rhadamanti adhibentur, quoquo pacto ferre possunt. Qui si Platonem aliquando, aut Ciceronem in manus sumerent, dubitare equidem non possum, quin essent percepturi animis, ingens in eloquentia verti momentum optimæ gubernandæ Reipublicæ. Neque enim de professoribus loquor, quos multos, et doctissimos Salmantica habet, sed de auditoribus hæc publica, et iusta querela est: qui summam civilis scientiæ esse putant, pulchre vestitos esse in causis agendis, et nihil propter gravitatem latine loqui.....

§ 10.—Elogio de varios Salmantinos célebres Francisco Vitoria, Domingo Soto, Alfonso Castro, Melchor Cano, Bartolomé Carranza y Luis Carballo (1).

Porrò Salmantica discessurus, non est cur silentio præterire debeam virum incomparabilem Franciscum Victoriam, qui splendor instituti dominicani, decus et ornamentum Theologiæ, exemplar antiquæ Religionis fuit. Hic Theologiam, ut Socrates quondam Philosophiam, à Cœlo evocavit, quam non in Hispaniæ modo civitates, sed domos etiam, et animos hominum sic invexit, ut sint hodie per multi illius discipuli, quos propter admirabilem scientiam, et exquisitam rerum copiam exteræ nationes iure debeant admirari.....

§ 11.—Elogio rápido de las Universidades de Huesca, Lérida, Valencia, Osuna, Granada, Valladolid, Barcelona y Oñate, y estudios de Soria, Burgos (2) y Toledo.

